Dissertatio medica inauguralis de chorea Sancti Viti ... / Eruditorum examini subjicit Samuel Mercer, Hibernus.

Contributors

Mercer, Samuel, 1783-?
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1805.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ckxqpdws

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA SANCTI VITI.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA SANCTI VITI;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL MERCER,

HIBERNUS,

A. B. TRIN. COL. DUB.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.

35037

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

PATRICIO PLUNKET, M. D.

DE *DUBLINIO*,

SIBI SUISQUE SEMPER AMICO,

HOC TENTAMEN,

SUMMA OBSERVANTIA,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA SANCTI VITI.

GENERIS nervosi vera natura modusque operandi tantâ obscuritate adhuc sunt involuta, ut in morbis quibus obnoxium est investigandis, parum vel quidem nullum fructûs ex consideratione causarum proximarum oriri potest. Magis in rem erit symptomata diligenter observando, causas prædisponentes vel excitantes, si fieri potest, deprehendere; has enim removendo, rationem medendi felicem sæpè attingemus. Hujusce naturæ est

morbus de quo in hac dissertatione pauca dicere proposui: nec quidem alia est corporis humani affectio, cujus naturæ et curationis scientia medicis magis impedita fuisse videtur, theoriæ vice experientiæ auscultantibus.

Hic morbus primo a SYDENHAMO, accuratè descriptus est. GALENO aliisque ante eum cognitum esse, facilè ostendi possit; ut rem verò parvi momenti, lubenter prætereo. Nostrâ ætate tamen magis frequens esse videtur, quàm dum vixit SYDENHAMUS. Etsi enim experientia ejus tam latè patebat, quinque tantùm exempla Choreæ vidit, et etiam hæc magnum numerum putavisse videtur, cùm dicit, "Haud pauciores quinque et vidi et "sanavi." Morbum hodiè multò sæpiùs occurrere, scripta medicorum recentiorum satis testantur. Anno præterito, ter quatuorve exempla in Nosocomio Edinburgensi ego ipse vidi. Hanc frequentiam majorem quodammodo forsan explicare possimus, cùm luxuriæ incrementum intueamur; quæ non solùm corpus debilitando, omnibus morbis nervosis magis pronum reddit; sed, ut infrà videbitur,

ad

ad unam ex causis choreæ excitantibus maximè communem gignendam adjuvat.

HISTORIA MORBI.

Hujus morbi aggressionibus præcipuè obnoxii sunt impuberes, inter decimum et decimum quartum annum ætatis. Interdum verò juniores, vel etiam infantes, adoritur; nec desunt exempla in quibus, adultis, in vigesimo anno vel pòst, impetum fecit. Mulieres quàm viri multò sæpiùs in choream incidunt. Dr Heberden affirmat, illorum quos sub hoc morbo laborantes viderat, puellas quater numero majores esse quàm pueros. Harum iterum illæ, quarum habitus corporis laxior est, et mens irritabilior, magis frequenter choreâ affectæ sunt.

Verno tempore sæpissimè adoriri dicitur: hoc verò, utrum ita sit, necne, haud certum esse mihi videtur.

Aliquandiu plerumque choream antecedit aliquid debilitatis et torporis membrorum, comitantibus

mitantibus subinde spasmis levibus. Nonnunquam prægrediuntur dolores rheumatici, cum vertigine et ventriculi molestia.

Hoc modo verò, generaliter se prodit :—Omnes motus voluntarii corporis celeriùs quàm antehac et quasi raptim peraguntur : Unum ex membris inferioribus infirmum atque instabile videtur, quod æger in gressu trahit potiùs quàm attollit, ut fit in paralyticis : Voluntati indies minùs minùsque obtemperant musculi, et motus abnormes pedis brachiique ejusdem lateris citò ſequuntur, quæ nec horæ momento in uno loco continere potest æger, neque ullum motum spontaneum efficere valet, nisi post multos conatus, membro huc illuc diu incassùm agitato priusquam consilium perficit. Hoc potissimùm notabilè fit, cùm vas potu repletum ori apportare vult æger, ut benè a SYDENHAMO descriptum : Mille gesticulationes exhibet, antequàm propè adferre potest ; dein raptim et tanquam avidè exhaurit. Indies accrescente morbo, motus tandem ferè constantes fiunt. Hi motus enormes unum latus solummodò plerumque afficiunt :

hoc

hoc verò nequaquam universè evenit. Ubi vehemens est morbus, non solùm omnia membra laborant, sed caput etiam, et corporis truncus. Interdum, varias actiones miras perficit æger, et saltandi et currendi, quarum plus quàm unum auctoribus enarratur exemplum *. Motus convulsivi musculorum faciei et labiorum haud rarò occurrunt, ita ut exhibeatur nonnunquam risus Sardonicus; et ferè in omnibus quodammodò afficitur lingua, et æger distinctè et articulatim voces efferre nequit. In quibusdam potestas loquendi omninò amissa est. Progressu morbi, motus involuntarii interdum ab uno ad aliud latus transmutantur: Inter somnum ut plurimùm minuuntur, et in multis prorsùs quiescunt; in aliis verò haud imminuti perstant, et somnus sæpenumerò perturbatus est.

Vultus in hoc morbo magnam debilitatem denotat, et frequenter speciem fatuitatis profert. Et quidem, ubi gravis est morbus, aut diu

* Vide Duncan's "Annals of Medicine for 1801."

diu persistit, magna mentis facultatum imbecillitas supervenit.

Sæpè etiam comitantur miræ illæ perturbationes animi, quas in hysteria videmus; ut proclivitas ad lacrymas sine causa ulla manifesta.

Cibi appetentia in chorea variè afficitur; interdum naturalis est; alio tempore præter naturam aucta est, ut in exemplo quodam a Doctore WHYTT memorato evenit *. Sed in plerisque ægrotis, quos aut vidi aut de quibus in auctoribus legi, magnoperè diminuta est.

Alvus plerumque tarda est, vel si regularis, evacuationes parcæ dejiciuntur. Abdomen nonnunquam tensum et tumidum est.

Hæc sunt signa præcipua quæ in chorea cernuntur, et quidem tali constantiâ in omnibus apparent, qualis morbum peculiarem denotant. Variatur diversis temporibus, prout musculi

* Vide WHYTT "on the Nerves."

musculi diversi affecti sint, vel prout magis minùsve motus sint enormes.

Dicitur a CULLENO, in quibusdam locis quasi epidemicum occurrere; idemque observatum est in Nosocomio apud *Mediolanum* in Italia *. In his exemplis præter vim causæ cujusdam communis excitantis, verisimile est principium imitandi, quod in hysteria et epilepsia tantùm valere inventum est, ad morbum propagandum adjuvare.

In definitione CULLENI dicitur, motus ex parte voluntarios esse, et proculdubiò sæpè augeri videntur, ægri voluntate quasi proclivitati cuidam cedente, aut studio adstantes oblectandi. Motus ferè semper majores fiunt dum aliquis ægrotum aspectet; et in puella quam in Nosocomio Edinburgensi vidi, etiam post amotus est morbus, adventu medici redire solebant. Hæc autem proclivitas symptoma morbi reverà esse videtur: imbecillitas quædam mentis pariter ac ullum alium ex symptomatibus,

* Vide DUNCAN's "Medical and Surgical Journal, "No. I."

symptomatibus, causâ morbi originem ducens, quâ fit ut voluntas nimiùm debilis est ad propensionem motui in membris affectis resistendam. Nec cùm magnam mentis mobilitatem in hac, ut in aliis nervorum affectionibus consideremus, mirum videbitur, conspectu advenarum ægrum æquè commoveri, ac ab alia quadam causa excitante. Dicit equidem Dr Heberden, nisum fortiorem potestatis volendi, motus interdum paulisper superare, ut in ægro qui citò currere sed nullo modo ambulare potuit. Hoc verò tantùm ostendit, quàm paululùm penes arbitrium sunt motus. Idem in ebriis evenit: in his tamen instabilitas in gressu ne omninò quidem est voluntaria. Porrò, si ex parte voluntarii essent, motus haud ita constanter in eadem membra se cohiberent.

Hi qui semel sub chorea laboravêre, in eam iterum relabi procliviores esse dicuntur. Se ita esse invenire negat Heberden. Fieri tamen potest, ut eadem causa excitans sæpè in eodem redeat, et sic denuò morbum inducet.

DIA-

DIAGNOSIS.

QUOAD diagnosin in hoc morbo, ferè nihil dicere necessarium erit. Signa ut plurimùm nimis manifesta patent, quàm ut judicio falli possimus. Exempla tamen abnormia identidem contingunt, ubi symptomata morborum variorum ita commixta sunt, ut difficilè fiat cui generi pertineant discernere.

Paroxysmos, exempli gratiâ, *epilepsiam* referentes interdum excipiunt motus irregulares, quales anteà in chorea se ostendere diximus, et his progredientibus paroxysmi subindè redeunt. Quinetiam spasmos universos ut in tetano laborantibus, nonnunquam evenire cognitum est. Cuncti quidem morbi qui *NERVOSI* dicuntur, arctum inter se nexum habere videntur, et alius alio sensìm sæpè accedere. Inter talia autem symptomata dignoscere, opinionum hominum quàm usûs sæpiùs interest: enimvero ex eadem causa excitante plerumque nascuntur, quâ submotâ, hæc omnia

evanescent, quæ igitur imprimis vel solùm medici attentionem defigere debet. In plerisque verò casibus, inter choream et affectiones epilepticas, satis faciliter dijudicare possumus, eò quod in choreâ motus non in paroxysmis impetum faciunt, neque sopor eos sequitur; dùm natura eorum enormis, a tremoribus paralyticis vel convulsivis affatim distinguunt.

PROGNOSIS.

Hic morbus perrarò lethalis est, etsi in tabulis mortuorum apud Londinum anno præterito editis, duo Choreæ Sancti Viti succubuisse dicuntur. Sæpè verò diu ægrum infestat, et denique paralysin membrorum inducit. In epilepsia etiam semel atque iterum desinere compertus est.

Sententia quoad eventum, vi symptomatum dirigenda est; ægri necnon ætate, atque causis ex quibus oriri videtur. Cùm ægrum ineunte ætate, scilicet ante vel circiter

pubertatis

pubertatis periodum, aggreditur, eventum felicem plerumque promittere possumus. Ast ubi adultos vel senescentes adoritur, est cur timeamus ne causa quædam solitâ magis fixa et valida lateat; quæ denique epilepsiam, vel alium morbum æquè timendum, gignat. A læsione cerebri organica aliquando chorea oriri dicta est; et si ita sit, spem angustissimam esse satis manifestè patet.

Signum est sanitatis redeuntis, ubi musculi gradatim voluntati magis obtemperant, vultusque fit hilarior; cùm æger magis distinctè proloquitur, et firmiter incedit.

CAUSÆ REMOTÆ.

CONDITIONEM esse generis nervosi specialem quæ corpus choreæ pronum reddit, eò verisimilius videtur, quòd rarissimè occurrit morbus pro frequentiâ causarum quæ interdum illum inducere repertæ sunt. Qualis sit hæc conditio, quodammodo ostendit habitus corporis illorum qui choreæ præcipuè subjecti

jecti sunt, juvenes scilicet sexûs utriusque, sed potissimùm puellæ teneræ, prope pubertatis ætatem, quando systema nervosum facillimè irritatione qualicunque convellitur. Hæc est quæ a CULLENO, et aliis, *mobilitas nervorum* nominata est; eadem quæ in hysteria et epilepsia cernitur, quâ et corpus et mens stimulis levissimis affici proclivia fiunt. Hæc mobilitas aliquando nobis congenita esse videtur, nec ad ætatem provectam relinquit. Sæpè etiam a luxuria nascitur, et alimentis lautioribus quibus infantibus nimis frequenter indulgent parentes. Omnia denique quæ corpus plenum reddunt, hanc conditionem gignunt; et inter hæc nihil magis quàm vita sedentaria, ex qua forsan causâ accidit, ut fœminæ sæpiùs sub morbis nervosis quàm viri laborant.

Morbi debilitantes etiam, evacuationes nimiæ, et cætera quæ corpus infirmum faciunt, ad choream proclivitatem inducere dicuntur; et aliquando hoc ita esse, verisimile videtur. Instabilitas membrorum, rheumatismum sequens, haud sine jure, in causâ fuisse interdum

dum existimata est. Sed quoniam indies hæ causæ vigent sine morbo sequente, vim minorem quàm vulgò creduntur, habere necesse est.

Utrum, necne, conditio anteà dicta nervorum, ita vi aucta fieri possit, ut morbum, sine ulla causa locali concurrente moveat, haud ambiguitate caret. Multa certè exempla auctoribus enarrata sunt, ubi nulla causa talis cerni potuit; nihilominus ex ratione medendi, quæ optimos edere effectus in chorea comperta est, concludere liceat, talia exempla saltem esse rara. Quandoquidem verò, eædem causæ in diversis ægris, vel ætatibus diversis, uno tempore epilepsiam, alio choream, alio alias convulsionum species, excitare inventæ sunt, confiteri debemus, esse aliquid nobis adhuc prorsùs ignotum, sive in vi causæ irritantis existat, sive in nervorum conditione, vel utrisque, quod uno morbo potiùs quàm alio corpus pronum reddit.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Hujusce ut omnium morborum nervos afficientium, causæ excitantes innumeræ recensitæ sunt, atque ab uno ad alium traditæ. Ex his verò plures a theoria duxisse videntur medici, et plures adhuc ex similitudine aliorum morborum. Experientiâ recentiore numerus et diversitas valdè imminuta est.

Nulla videtur esse causa tam frequens quàm irritatio in intestinis, ex accumulatione sordium oriens, vel fæcium induratarum. Intima consensus quæ inter intestina est et corpus universum, omnibus nota est, et manifestè patet ex effectibus qui vitia aliqua in iis sequuntur. Hi præcipuè notabiles sunt in infantibus, quorum morbi longè plerique, sed præsertim convulsivi, ex alvo difficili vel sordibus intestinorum, proveniunt, et statim plenis dejectionibus amoventur. Ut causam choream interdum inducentem hanc alvi conditionem sem-

per

per notavêrunt medici; sed nuper solùm est quod tam frequens et valida comperta est.

Non solùm ex alvi astrictione quæ plerumque in choreâ invenitur, sed magis a naturâ excretorum hanc causam colligere adducti sumus. Hoc, quantùm audivi aut legi, primò a Doctore HAMILTON, Nosocomio Edinburginensi medico, observatum est; qui in pluribus, quæ ab illo tractata erant exemplis, dejectiones semper præter naturam nigras et fœtidas esse sensit, et prout hæ naturales fierent, vel contrà, morbum levari aut exacerbari. Hoc verò infrà pleniùs comprobatum erit, ubi adjuvantia et lædentia disceptanda veniemus.

Hic etiam enumerandæ, sunt, ut causæ paulò remotiores, digestio imminuta vel depravata; cibus nimiùm lautus, vel contrà insalubris, et nutrimenti expers; vita sedentaria, et alia quæ ventriculum et intestina debilitant. Sic enim secretiones variæ impediuntur vel depravantur, alimenta non satis concocta stagnant, et corrupta fiunt, quorum irritatio

ritatio denique per nervos ad totum corpus propagatur.

Hæ causæ anteà, mobilitatem illam, quæ choreæ proclivitatem dat, inducere dictæ erant: sed haud minùs irritationem localem gignendo, agere verisimile est.

Vermes porrò in intestinis ut causæ choream inducentes memorantur; et proculdubio magnam vim interdum habent in morbis nervorum ciendis. Pauca tamen ex exemplis choreæ quorum medici in scriptis mentionem faciunt, ex hâc causâ orta esse videntur.

Alia est causa, nec quidem rara, difficultas dentiendi, tempore præsertim dentitionis secundæ. Exemplum tale * Doctori MONRO seniori videre contigit, nec semel tantùm Doctori GREGORY. In dissertatione porrò de Dentibus a Doctore BLAKE †, idem in aliis exemplis evenisse affirmatur.

Repulsio.

---

* Audi Prælectiones.

† Vide BLAKE "on the Teeth."

Repulsio etiam *eruptionum in cute*, inter causas hujus morbi a quibusdam enumeratur. *Curatio psoræ præmatura* sola est causa quæ a Doctore DARWIN notatur. *Motus animi violenti*, etiam, ut terror, eosdem effectus nonnunquam edere dicuntur. Sunt qui *retensionem mensium* inter has causas collocavêre ; et in puella quam in Nosocomio chlorosi affectam vidi, in uno brachio quidam erant motus irregulares convulsivi. Ut verò alvus adstricta erat, et ægra unum diem solùm permansit, nihil ex hoc concludere licet : Quinetiam chorea plerumque aggressionem facit, prius quàm causa talis existere potest. Credibile videtur choream perrarò a læsione aliqua cerebri organica, oriri, ex eo quòd generaliter curatio efficitur. Epilepsia sæpiùs etiam ex tali affectione nascitur.

Hæ sunt causæ præcipuæ quæ choream excitare dictæ sunt. Primò numeratæ verò, scilicet intestinorum irritationes et dentitio, ferè solæ forsan invenientur.

RATIO MEDENDI.

In hoc morbo curando, haud satis animos adverterunt medici ad causas excitantes, sed totam operam semper dederunt ad mobilitatem illam generis nervosi superandam, de quâ anteà, ut causa prædisponente, diximus, et quæ interdum ipsa morbum idiopathicum formare, pluribus censebatur. Ut verò hæc corporis conditio haud infrequenter nobis congenita est, et habitu naturali derivata, et plerumque diu ante morbi occursum existit, satis manifestum est illam removere difficile sæpè et lentum futurum, et multò faciliùs esse irritationes tollere, quàm corpus ita firmum reddere ut illis haud afficiatur. Et hoc, ut protinùs patebit, experientiâ comprobatum est.

Ut causa choreæ maximè universalis in intestinis sedem habere anteà dicta est, sic purgatio repetita, illam removendo, æquè universaliter profuisse nuper comperta est. Ab omnibus

nibus ferè scriptoribus systematicis, purgantia in hoc morbo interdicta fuerunt, quippe quæ corporis debilitatem ideòque morbum augerent. Sed in hoc, ut in multis aliis exemplis, invenietur, medicamenta in corpora sana atque morbo laborantia effectus valdè diversos interdum habere; atque modum præstantissimum debilitatis morbum comitantis amovendæ, esse causam morbi ipsius summis viribus amovere.

Purgantium usus in chorea a SYDENHAMO enixè propugnatur; cujus consilia practica, qualiscunque sit theoria, nunquam non attentionem merentur, utpote ab experientia latissima, et animo maximè sagaci deducta. Sanguinem emittere imprimis solebat, ad uncias septem vel octo; dein per tres dies alternas purgare, interpositis amaris atque anodynis. Eadem ter quaterve repetita erant. Sanguinis autem emissio, nisi signa manifesta plethoræ adsunt, haud prodesse invenitur; corpus enim debilitat, dum causa excitans immota manet. Ex SYDENHAMI quidem verbis, patet, majorem in purgantibus

fiduciam

fiduciam ponere quàm in venæsectione, neque hanc nimis liberè usurpari monere *. Hæc remedia semper morbum sanavisse affirmat: hoc verò quidam amaris quæ eodem tempore dabat, tribuere. Successu tamen felici qui usum purgantium nuper secutus est, verisimile est, ex his præcipuè pendere curam. Aliquid certè juvare potuissent corpus universum, et præsertim ventriculum corroborando, et hoc modo causæ excitantis accumulationem præveniendo.

Purgantia verò in chorea multò latiùs nuper usurpata sunt a Doctore HAMILTON, et quidem successu maximè insigni: cujus exempla quinque in *Commentario Medico et Chirurgico* † memorata sunt. Hæc verò non sunt omnia: Haud pauciores quindecim vel sedecim,

---

* "Ad quam quidem (sanitatis redintegrationem) "consummatiùs perficiendam, licèt auctor non sim, ut "plus ter quaterve ut plurimùm sanguinem emittat "æger; attamen remedia cathartica, et alterantia, "eoùsque in usum revocanda, donec rectissimè tandem "valeat."—*Vid.* SYDENHAM.

† Vide *Medical and Surgical Journal, Edinburgh*, No. I.

cim, hoc morbo laborantes, eadem ratione a Doctore HAMILTON curabantur *. In his exemplis perlegendis haud solùm sanitatis redingrationem, sed magis temporis brevitatem in quo consummata est, admiramur. Ex quinque suprà memoratis, in uno solo morbus plùs dies quatuordecim remediis resistebat, et in hoc symptomata vehementiora erant. In aliis quibusdam tempore etiam breviore perfectè curabatur æger: chorea contrà, sub remediis usitatis, morbus semper lentus inventus est; sæpè per menses plures, interdum per annos, spes medici deludens. Hæc ratio medendi præcipuè naturâ dejectionum indicatur, quæ ferè in omnibus sic a Doctore HAMILTON tractatis, nigræ, et fœtidissimæ, inveniebantur; in plerisque parcæ et induratæ: morbi porrò symptomata gradatim remittere observata erant, prout magis naturales fierent evacuationes.

Purgantia igitur, et hæc etiam fortiora, indies porrigi debent, usquedum hos edant effectus,

* Audi Prælectiones Clinicas Doctoris HOME.

tus, vel donec perfectè valeat æger; et mirùm quidem est quanta fæcium collectio sic nonnunquam dejicitur.

Nec causa ulla est cur timeamus ne nimiùm debilitatus sit æger. Semper contrà validiores indies fiunt, et vultus magis hilaris, prout minuitur irritatio. Hoc perspicuè vidi illustratum in uno ex exemplis suprà notatis; scilicet puellæ *, a Doctore Home in Nosocomio sanatæ, in qua, præter alia choreæ symptomata, vultus fatuus videbatur, et signa maximæ debilitatis proferebat; sed indies, ex usu purgantium, magis valida fiebat, et vultus naturalis.

In hoc loco verò haud intempestivum erit enarrare, hanc puellam, paucis post dimissa erat diebus, iterum in Nosocomium receptam esse typho laborantem. Motus etiam irregulares redierant, et alvus difficilis fuit. Præter vinum et alia remedia in typho idonea indies purgata fuit, donec motus omninò cessavêre

* Margaretæ Murray.

vêre, et iterum rectissimè valens dimissa est. Hîc, etiamsi ægra, ut post typhum fieri necesse est, magnoperè debilitata fuit: attamen morbus penitùs amovebatur, causam excitantem tollendo.

Remedia cathartica etiam feliciter fuisse usurpata videntur, a Professore STOLL in Germania. Duo choreæ exempla memorat, ab emeticis et purgantibus sanatæ,— "alvo "mediocriter sed quotidie fluente." In uno ex his æger post emeticum "vomuit amara;" et post purgantia repetita, "lumbricum et pituitam dejecit."—"In hac specie," dicit STOLL, (scilicet "a pituita amarâ primarum viarum natâ"), nocûere "stimulantia, belladonna, zincum, electricitas *."

Aliud etiam enarratur exemplum a Doctore WHYTT †, in quo morbus diarrhœâ spontaneâ, materiei cujusdam præter naturam glutinosæ, omninò cessavit. Hæc verò ostendere sufficiant

* Vide STOLL, Ratio Medendi, vol. iii.

† Vide WHYTT "on the Nerves."

sufficiant quàm arctè inter se connectuntur morbus de quo versamur, atque intestinorum conditio. Dici forsan post, hanc conditionem haud causam, sed consequentiam, esse morbi; quomodocunque verò hoc sit, non dubitari potest symptomata, illâ augeri; et experientia iterata probat, hâc remotâ, morbum plerumque cessare.

Si vermium in intestinis suspicionem habemus, quædam ex medicamentis ad has delendas usitatis præscribere forsan prodesset; etsi ad hoc, purgantia repetita satis efficacia ut plurimùm invenientur. Si signa ulla morbum a dentitione oriri demonstrant, vel a dolore dentis cariosi, gingivas persecare quàm primùm debemus, vel dentem culpandam extrahere. Hoc modo chorea a Professoribus Monro et Gregory plùs semel sanata est *. Quæcunque, denique, causa irritans esse videatur, eam auferre quantùm possumus enitendum est; sic enim citissimè amovebitur morbus.

Cel.

---

* Audi Prælectiones.

Cel. Darwin ubi (ut plerumque fieri affirmat) a repulsione psoræ nascitur chorea, ægrum iterum psorâ afficere suadet. De hoc verò nihil dicere possum, ut nunquam ab ullo alio medico hortatum audivi.

Alia est medendi ratio quæ multò magis inter medicos prævaluit, usu scilicet stimulantium et roborantium: atque tametsi remedia purgantia longè efficaciora mihi esse videntur, negari nihilominùs nequit, morbum hoc modo sæpè superatum esse; et *tonica* ut dicuntur, sæpè cum magno commodo purgantibus conjungi posse. Ex remediis verò roborantibus nulla certè æquè valent ac exercitatio, cum cibo nutriente et concoctu facili. Exercitatio modica, omnes secretiones et excretiones promovendo, totum corpus firmat roboratque, et functiones ventriculi et intestinorum speciatim adjuvat. Cinchona, etiam, et alia remedia amara, cum præparatis ex ferro, plurimis faustè usurpata fuerunt. Talia verò medicamenta, nisi cathartica subindè junguntur, ventriculum gravare sæpè invenientur.

De usu frigidarii in chorea, medici inter se haud convenire videntur: quibusdam inutile vel nocens esse dicitur; ab aliis (inter quos HEBERDEN) optimos edere effectus affirmatur, præcipuè postquam æger convalescere incepit. Hæc differentia inter effectus, a periodis morbi diversis, in quibus usum est, oriri videtur. Enimverò dum primæ viæ sordibus onerantur vel alvus compressa, frigidarium sæpè nocere omnibus innotuit. In declinatione contrà morbi, cùm ex vi consuetudinis magna ex parte protrahitur, nullum forsan remedium magis ad sanitatis redintegrationem contulerit.

Sunt porrò varia medicamenta tonica et antispasmodica, a medicis *nervosa* dicta, quæ sæpè cum successu felici in chorea usurpata fuisse dicuntur. Ex his valeriana officinalis, et præparata ex argento, cupro, et zinco, præcipuè auctoribus laudata sunt. In Actis Societat. Med. Londinensis, vol. iii., octo vel novem exempla choreæ usu oxydi zinci curatæ a Doctore WRIGHT, memorantur. Hoc tamen remedium a Doctore GREGORY in mor-

bis

bis nervosis prorsùs ferè iners compertum est *. Et in his exemplis notatu dignum est, curationem multò tardiorem esse quàm in illis, a catharticis tractatis. In pluribus per tres menses morbus permansit; in nullo, præter in uno, ante mensem elapsum amotus est. *Nitras argenti* et *ammoniaretum cupri* majorem vim in nervos habere videntur, et attentionem jure merentur.

Alia hujus generis medicamina, scilicet, belladonnam, camphoram, &c. notavisse sufficiat, quippe quæ in effectibus consentiunt, in vi solùm differunt. Opium a Doctore HEBERDEN multùm laudatum est, cujus omni nocte grana duo, cum eccoproticis subindè et amaris, maximè profuisse affirmat.

Aliud quæ memorari debet, restat remedium, cujus vis in genus nervosum omnibus nota est, scilicet *electricitas*. A multis, præcipuè Doctore CURRIE, optimos effectus produxisse dicitur; et ubi morbus aliis remediis resistat, hoc non omittere debemus. Formâ scintillarum

* Audi Prælectiones de Medicina Practica.

scintillarum a partibus affectis elicitarum, vel ictuum leniorum, exhiberi potest.

Ex omnibus anteà dictis patebit, rationem illam medendi quæ a remotione causæ excitantis pendet, utpote in morbo plerumque sympathica, sæpiùs aliâ quâdam, faustam evasuram. Post morbum amotum exercitatio, victus idoneus, et præcipuè alvus semper satis soluta, necessaria sunt, ne iterum æger in morbum laberetur.

FINIS.